

ternam dimensionum determinationem, quodammodo mutata-
tam cerneret.

Hæc, ut notum est, per naturæ leges, instar Phaseoli Indici, in Adultis, lævi & planâ superficie describitur: in foetu ac recens natis tuberosior parumper est, & quemadmodum intus glandulis, sic in ambitu etiam quibusdam eminentiis distincta, quasi plures Renelli in unum globum in alterutro corporis latere sint congesti, ob plures videlicet illas, quas dixi glandulas, quibus Renes, etiamsi obscurius, (non excluso tamen hic proprio parenchymate, integrantur. Censetq; hoc Foetui proprium Anatomicorum nostri seculi Alpha & Omega Th. BARTHOLINUS (Cent. 1. histor. Anat. 14. pag. 29.)

Multitudo Renum in Lutris.

Ego verò non obscure, sed sat evidenter, nec glandulosa corpora, unum aliquem renem constituentia, sed singulos ac numero distinctos Renes non semel observavi in dissectis Lutris (German. Fisch-Ottern) complicari, quatuordecim in utroque latere, & connecti sibi, velut in botro uvæ sibi per singulos pedunculos connectuntur, singulis Membranis, Venis ac Arteriis emulgentibus.

Præternaturales Renum, ob Inflammationem, protuberantia.

Et vicissim, in Exuviis SPERLINGIANIS, unus quidem tantum utroque, prout per Naturam humanam decet, Ren observabatur, elatior tamen uterque, in aliquibus superficiem suam partibus, sic, ut nisi Renes plurimos complicatos, uti de Lutris reperiuntur, extraordinarias tamen quasdam, & arcuatas veluti eminentiæ notas, ob summam, quâ distenti erant, inflammationem, referrent, non obstante, quod CL. LOESELIIUS alioque (Scrutin. Ren. Inciso 1. artic. 2. §. 7. p. m. 14.) ARISTOTELEM repudiat, qui (lib. 3. d. Partib. Anim. c. 9.) ait: *Hominum Renes Bubulis similes sunt, & tanquam compositi ex multis renibus exiguis: neque æquabiles, velut Ovium renes: nam tuberosam Renibus figuram in homine nos tribuimus: nam loquimur hic de statu præternaturali, contra quem à Naturali non valet Argumentum. Immò in Naturali etiam distinctim procedendum, ratione Ætatis, uti modò ex BARTHOLINO dictum est.*

Sed quænam jam facies interna erat Renum Sperlingianorum? nam hujus lustrandi gratiâ imprimis Sectio instituebatur.

Illo-